

29
D. 7.

DISSERTATIO GRADUALIS,

DE

MAXIMO

IN

MINIMIS,

QUAM,

*Consensu Ampliſſ. Facult. Philoſoph. In Regia
Acad. Aboëniſi,*

PRÆSIDE

Maxime Reverendo atque Ampliſſimo VIRO,

DN. CAROLO
MESTERTON,

S. S. Theol. DOCT, nec non Log. & Metaph. PROF.
Reg. & Ord.

Publico examini ſubmittit

PETRUS SOLITANDER,

BORGOA-NYLANDUS.

Die XXX. Maji Anni MDCCLIII.

L. H. Q. S.

ABOË, Impreſſit Direcſt. & Typogr. Reg. Mag. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

S: a R: a
MAXIMÆ FI-
Reverendissimo

D_{N.} JOHANNI

S. S. Theologiæ *Doctōri* celeberrimo, in clytæ Diœcese-
sistorii *Præsidi* Gravissimo, Gymnasii
MÆCENATI

Summe reverendo atque amplissimo VIRO,

D_{N.} CAROLO F. MENNANDER,

S. S. Theol. *Doctōri* & *Professori* Reg. & Ord. Consist.
utriusq; *Adfessori* æquissimo, Eccles. Rändam äkiensis *Ant-*
istiti longe meritissimo, nec non Reg. Acad. Svec.
Scient. *Membro* maxime inclyto.
MÆCENATI MAGNO.

Summe reverendo atque amplissimo VIRO,

D_{N.} GABRIELI FORTELIO,

S. S. Theol. *Doctōri* & Diœceseos Borgoënsis *Archi-*
Præposito dignissimo, templi cathedralis *Antistiti* ad-
curatissimo & Consistorii Ecclesiastici *Adfessori* prima-
rio æquissimo.

MÆCENATI MAGNO.

Præclarissi-

D_{N.} Mag. JOHANNI

Log. & Mathes. *Lectōri* in Reg. Gymnas. Borgoënsi
PATRONO & FAU-

In grati animi monumentum, summa cum veneratione
in spem ulterioris favoris & benevolentiae, pagel-

Reverendiss. Summe Reverend. Ampliss. atque

cultor devotissimus

PETRUS

Mitis
DEI VIRO,
Patri ac Domino,

NYLANDER,

os Borgoënsis *Episcopo* consummatissimo, Ven. Con-
Scholarumque *Epbore* adcuratissimo.
SUMMO.

Amplissimo atque celeberrimo VIRO,

D_N. PETRO KALM,

Oeconomiae *Professori* Reg. & Ord. nec non Reg.
Scient. Acad. Holm. *Membro* maxime inelyto & Fa-
cult. Phil. h. t. *Decano* Spectabili.

MÆCENATI MAGNO.

Praclarissimo VIRO,

D_N. PETRO NAPPENIO,

In Reg. Gymnasio Borgoënsi Lingvarum *Lectori* dex-
terrino, *Consistorii Eccles. adfessori* meritissimo.

PATRONO OPTIMO.

mo VIRO,

BORGSTRÖM,

laudatissimo, Ven. *Consist. ibidem adfessori* æquissimo.
TORI OPTIMO.

*& reverentia, ob innumera præstita beneficia, nec non
las has levissimas offert*

Præclariss. NOMINUM VESTRORUM,

*& humillimus,
SOLITANDER,*

Admodum reverendo atque clarissimo VIRO,
Dn. JONÆ SOLITANDER,
Pastori Pyttisensium dignissimo.


Perquam reverendo atque doctissimo VIRO,
Dn. JOHANNI SOLITANDER,
Comministro in Pyttus vigilantissimo.

Spectatissimo & Prudentissimo VIRO,
Dn. ERICO SOLITANDER,
Mercatori Borgoënsium adcuratissimo.
Fratribus honoratissimis, carissimis.

Dissertationem hanc qualemcunque, ob multa
amoris & benevolentie documenta, Vobis,
Fratres carissimi, dat & dedicat

NOMIN. VESTR.

obstrictissimus
P. S.



§. I.



Undum hunc adspectabilem de-
bita attentione qui contempla-
tur, tantam harmoniam eidem
inesse deprehendit, ut non pos-
sit non summas Conditoris per-
fectiones venerabunda mente a-
gnosceret. Ut enim corporum
partialium in omni naturæ re-
gno obviorum, ita totalium quoque stupenda quæ-
dam multitudo, quam ipse manu sustentatrice con-
servat, oculis hic datur intueri, quorumque tam par-
va quam magna, etiamsi primo adspectu convenire
non viderentur, ejus bonitatem, sapientiam & poten-
tiam cuilibet indagatori digito quasi monstrant. Glo-
bum hunc, quem incolimus, terraqueum si conside-
raverit, superficiem ipsius aliis quidem in locis aspe-
ram plerumque & scabram, altis montibus profun-
disque vallibus obsitam, in aliis vero aquarum mul-
titudine eandem esse obductam invenit, hæc tamen
omnia oculo adtentiori lustrata optime consentire &

ad eundem finem tendere videbit. Animum denique ad corpora cœlestia eorumque magnitudinem si propius adverterit, quorum plurima tellurem hanc nostram, utcunque vasta videatur, magnitudine multo superant, etiam illa admirationem ipsius & erga potentissimum Auctorem venerationem augere valebunt. Infinitum enim & omnium perfectissimum Ens illud utique erit, quod uno intuitu tam multa dirigit & toti universo prudentissime providet. Solem, maximum hujus nostri systematis planetarii corpus, radios suos ad omnes directiones diffundentem videt, qui cetera planetarum corpora tam primaria quam secundaria luce & calore fovet. Videt denique oculo inermi in hemisphærio nostro mille circiter fixas, cui numero fere totidem, ad polum antarcticum sitæ, sunt addendæ. Qui vero telescopia adhibuerunt, ingentem ubique earum numerum, quæ nudis oculis se non produnt, cernere potuerunt. Ita *Galileus* in pleiadibus amplius quadraginta, *Hookius* vero duodecim pedum telescopio septuaginta & octo in iisdem, at longiora adhibens multo plures detexit stellas. Et in via lactea tam ingentem fixarum multitudinem invenerunt, ut illum cœli tractum candore suo perfundere videantur; unde credibile est eas confertim aliis etjam in locis reperiri, quamvis ob nimiam distantiam nobis inconspicuæ. Porro media distantia terræ, secundum *Cassinum*, a sole est circiter decem millia diametrorum terræ. Saturni vero distantia habet se ad ipsius, ut novemdecim ad duo, cujus

cujus gyrus tanto majus requirit spatium. Si jam ex spatio, cui corpora hujus systematis planetarii innant vasto, argumentatio ad reliqua ducatur, ita ut ceteræ fixæ pro totidem solibus habeantur, longissimisque intervallis a se invicem distent, & instar solis nostri planetarum comitatu etiam cingi concipiantur, qui circa soles suos, diversis periodis & distantis, lunis propriis stipati, denuo rotarent, omnem humanæ mentis cogitandi vim, quæ tota in pelago hoc demergitur, tanta corporum multitudo spatiique vastitas excedunt; adeo ut non possit non Entis infiniti perfectiones ex iisdem agnoscere easque venerari. Si vero jam ex altera parte ad minima corpuscula adtendatur, non minori evidentia Creatorem prout maximum illa nobis exhibent, de quibus in præsentibus pagellis agere constituimus. Interim Te, B. L. rogatum volumus, ut innoxia nostra conamina cum favore excipias tuaque eruditione, quæ desunt, suppleas.

§. II.

ENS, quo majus nihil concipi potest nullosque perfectionum limites & gradus admittit, jure dicitur Maximum, in mundo vero omnia sunt contingentia & mutabilia, unde patet, illud ab eodem, toto celo differe, nec in eo quærendum esse: interim tamen prout in omnibus, quæ intuemur, creatis, perfectiones producentis & sustentantis ea, sunt venerandæ, cum ex inspectione operis cognoscere & glorificare opificem par sit; ita & in minimis, ejusdem perfectiones

nes nobis contemplandæ sistuntur, ut ad cognitionem & cultum ipsius inde excitemur. Admirabile enim potentia Divina est documentum, quod corpora ingentia & magna tam admodum exiguis corpusculis suam debeant originem. Ex partibus enim corpora coalescunt indeque diversas sortiuntur figuras, & in partes rursus, tam naturali, quam artificiali solutione resolvi possunt, quæ divisio in multis miram ad partium subtilitatem continuari potest. Prodeunt tamen naturalia iisdem characteribus & proprietatibus ac ante multos orta sunt annos, easdem quoque leges dum intereunt observare videntur. Quantam vero ad subtilitatem redigi poterunt corpora nonnulla, sequentia ostendunt experimenta. Uno cupri grano in spiritu salis armoniaci dissoluto, aquam destillatam 28534. granorum pondere tinxit *Boyleus*. Si jam partem aliquam cupri illius in quavis visibili prædictæ aquæ parte fuisse ponatur, cui tincturam cœruleam atque conspicuam communicavit cuprum illud, erit ad minimum in partes 105570000. divisum. Idem quoque demonstravit unum argenti granum in partes 64800. visibiles posse secari. *Musschenbroekius* vero, Augustæ vindelicorum artificem ex uno auri grano filum 500. pedes longum duxisse, testatur, quod actu in partes 3600000. conspicuas dividi posset. Ex his corpusculorum subtilitas jam quidem liquet, si vero ad odores corporum olentium, vix tamen pondus amittentium, vel etiam fumum corporum incenso-

rum respiciatur, multo major prodibit calculus. Odora corpora magnam plerumque ad distantiam olent. Si ad distantiam quinque pedum, effluvia corporis istiusmodi sensum olfactorium tantum moverent, & una tantum corporis odori particula in qualibet istius spatii parte, quæ æqualis est digiti cubici quartæ parti, hæere supponatur, quamvis versus corpus a quo prodeunt, multo spissiores quam versus sphaeræ superficiem sint, ad hanc vero particulas etiam densiores esse quam determinavimus admodum est credibile; in illa tamen sphaera particulas odorem producentes esse contendit *Keillius*. Hæc omnia animo, destinata malitia non præpedito, qui rimatur, magna & animum convincentia videbit Divinarum perfectionum testimonia; nihil enim ipsis corpusculis inest, quod excellentem, ad corpora organica aliaque constituenda, observat compositionis modum, neque hæc jam producta, si manum suam sustentatricem eis subduceret Numen potentissimum, perdurare potuerint. Nec ullus ordo nullaque naturalium species conservari posset, si casui cæco, absque intentione sapientissimi artificis, subiecta essent omnia. At retinent naturalia suam formam, soliditatem & virtutem propriam, quod, quomodo ea in tam innumeris objectis, absque sapientissimi & potentissimi Numinis directione & cura, persistere possent, concipi nequit.

§. III.

Ignis subtilitas tanta est, ut in corpora omnia explorata

plorata penetrat, sensusque nostros fere omnes effugiat; hinc Sagacissimi etiam rerum naturalium scrutatores, quamcunque licet adhibuerint industriam, indolem & naturam ejus hactenus ipsis incognitam fuisse, ingenue fatentur. De summo tamen Numine, quod omnium rerum providam gerit curam, non obscure perhibet testimonium. Vegetabilia enim, si calore destituerentur, non amplius progerminarent, animalia interirent, propulsio humorum cessaret & miserrima omnium foret conditio. Prodit vero ignis præsentiam suam characteribus maxime conspicuis, luce puta & calore, quæ quidem plerumque comites agunt, an vero unum idemque sint vel secus nostrum non est disquirere. Lux a corpore quolibet lucente in lineis rectis defertur, & radiis a se divergentibus, ad omnes directiones in totum sphaeræ ambitum, nisi impedimentum adsit, sese æqualiter diffundit. Quod in radiis e minima scintilla exeuntibus etiam videri licet. Huicce fundamento *Nieuwentytius*, subtilitatem lucis determinaturus, demonstrationem suam superstruxit. Cum enim candelæ flamma noctu ad distantiam 10000. pedum ab oculo sentiatur, erunt aliquæ lucis particule in omni sphaeræ istius parte, cujus diameter est duplo major, idque in quolibet minutissimo temporis momento, cum lux ineffabili celeritate moveatur. Unde in tempore unius minuti secundi e lucerna ad minimum $4\frac{1}{2}$ lucis particulas profluere contendit. Et elucet certe ex iis summa Conditoris sapien-

fapientia, qua particulis lucentibus tantam adsignavit subtilitatem; cum enim tam vehementi velocitate radii a sole ferantur, ut secundum *Bradlejum* octo primorum & tredecim secundorum minorum ad distantiam, quæ solem terramque intercedit, percurrendam impendant; si majores essent & in motu accelerarent, terrestria corpora non leviter modo, uti jam cernimus, moverent, sed lapsu suo omnia destruerent vastarentque. At radii hi ulterius in colores dividi possunt, unde quilibet eorum ex aliis compositus esse videtur. Ob hanc lucis subtilitatem, divergentia radiorum non impedit, quominus corpora opaca ad majorem etiam distantiam illuminentur. Hinc ergo, sufficienter omnibus in universo corporibus lux & calor, prout quodvis eorum postulat, suppeditantur. Alia itaque propius collocata sunt, alia vero remotius a centro, a quo lucis densitas in ratione reciproca duplicata distantiarum decrefcit. Si vero ab altera parte organum visus, membrum illud tenerrimum, consideretur, tantam & illud radiorum subtilitatem exigit. Quamvis enim palpebræ oculum ab externis injuriis defendant & sua apertura radiorum copiam moderentur, quamvis & ipsa pupilla dilatabilis sit musculique eam dilatent & coarctent; nihilo tamen minus hi oculum læderent, si minori præditi essent subtilitate. At radii lucis non tantum a sole & reliquis corporibus lucidis exeunt, sed reflectuntur quoque ab illuminatis & efficiunt, ut oculus in omnes directiones videat.

deat. Unde novum depromitur argumentum, subtilitatem lucis indeque fluentem utilitatem evincens; ad nullam enim plagam converti potest oculus apertus, quominus plurimi radii in illum incidant. Hinc est, quod per foramen parvæ acus cuspidæ chartæ inflictum, dimidium hemisphærium cœleste visum sentire valeamus. Nec alio modo corpora non lucida, nisi lumen ab iis reflecteret, cernerentur.

§. IV.

AD aërem dum nos convertimus, etiam in ipso tanquam speculo invisibilem Creatorem nobis datur intueri. Ipsamque quod adtinet particularum ejus tenuitatem, tanta est, ut non solum in aliis corporibus hospitetur, sed minima etiam animalculæ vitæ motusque causa eodem indigere videantur. Aqua si antliæ pneumaticæ subponatur, ablato aëre exteriori, bullulæ in illa se ostendunt, tantaque copia & celeritate, si calida fuerit, adscendunt, ut aqua ebulliat. Nec venæ, sanguis carnesque animalium eo destituuntur, quod variorum comprobant experimenta, hæc enim si in vacuo includantur, aër se expandit ipsaque corpora & vasa sanguifera extenduntur. Plantæ etiam, tracheis, quæ aërem continent, instructæ sunt, unde illæ, ad promovendum succi nutritii transitum ad quamlibet partem nutriendam, extenduntur & coarctantur. Hinc est quod *Wolffius Thymnigi*usque ex fructibus, foliis aliisque plantarum partibus, antliæ subjectis, bullulas adscendentes viderunt. Pisces denique easdem sub antlia emittunt;

mittunt. Vidit enim sagacissimus *Boyle*, gobionem tum ore, tum branchiis magnam bullularum copiam exonerare. Quiescente vero pisce, bullæ recentes compluribus corporis partibus adhærescebant, ut iis totus obsessus circumdatusque compareret. Animalia quoque terrestria volatiliaque plurima, in recipiente inclusa, cito moriuntur. Adeoque tam respirationi animalium, quam vegetationi plantarum inservit subtilis aër, omnibusque iis gaudet proprietatibus, quas horum vita & vivendi ratio postulat. Sive itaque ad vegetationem & pulchritudinem minimæ plantæ vel volatum volucris cujusdam respiciatur, quæ, se aëre privarentur, ne concipi quidem possunt. Imo formicas *Boyleus* acarosque casei in recipiente inclusit, nullumque vitæ indicium, aëre exhausto, per insigne temporis spatium in ullo eorum deprehendit. Quam itaque subtiles exiguæque illæ esse debent particulæ, quæ per poros cavitatesque partium ejuscemodi animalis meant, cujus integrum corpus non puncto physico majus comparet, quodque vitam habere oculo inermi ex motibus tantum ipsius dignosci potest, ut & ipse fatetur *Boyleus*. Hæc aëris subtilitas ex observationibus *Leuwenhæckii* quoque colligitur. Ex pulmonibus enim ovis, ille particulas aëris, sanguinisque expulit crassiores, pulmones denique microscopio contemplatus, vix bullulas aëreas, ob earum parvitatem, conspiciere potuit; quamvis animalculum 1000. milliones arenæ granulo minus se vidisse testetur. Est hæc subtilitas

admodum necessaria visus causa, crassiores enim aëris particulæ si essent, quominus alia objecta ab oculo magis remota viderentur, impedirent. Non vulgares ergo nobis suggerere potest providæ Dei curæ meditationes: Quis enim aliud medium, radios solares per se transmittens eosque debite refringens, ad hominum ceterorumque usum, nostro aëre melius excogitare valet? Quis densitatem ei indidit animalium vivendi rationi congruentem? Quis constituit, ut auditui aliisque usibus plurimis inferviret? In tenui præterea aëre, qui terram circumfundit, varii generis exhalationes diversorumque corporum particulæ, quæ tonitrua, fulmina aliosque vehementes edere valent effectus, concurrunt; quis temporis momento tutus viveret, nisi a maximo Numine, omnia disponente, ea dirigerentur?

§. V.

TActis jam paucis de aëre, ad considerationem aquæ procedimus, cui magna etiam competit subtilitas. Particulæ enim ejus minimæ non solum invisibiles sunt & per poros animalium plantarumque transpirant; sed corpora quoque pleraque firma penetrare valent: ita Florentini, aquæ compressibilitatem globo aureo inclusæ, explorantes, illam per poros auri exsudare, experti sunt. Salia dum solvit aqua texturam & substantiam eorum intrat. Menstrua animalium, vegetabilium mineraliumque vincula & partium compagem eodem modo destruere notum omnino est. Et unde quæso tot aquæ mineralis

les? Hanc subtilitatem ut exploraret *Boyleus*, unci-
 am aquæ communis æolipilæ immisit, & foculo
 carbonibus instructo eam imposuit, fluxumque va-
 porum ex eadem ad 18 circiter minutorum tempus
 durasse contendit. Ex vaporibus his in forma co-
 nica prodeuntibus *Niewwentyt* multitudinem particu-
 larum aquearum uncix illius ad calculum redigere
 allaboravit, contenditque 1365. milliones particula-
 rum illam ad minimum continuisse; unde juxta i-
 psam sequitur, 13000. particulas apici aciculæ adhæ-
 rere posse, in eoque locum obtinere. Quam vero
 necessaria & animum Divinæ directionis convincens
 hæc aquæ subtilitas sit, ex usu, quem præstat, facile
 colligitur. Gravitatis specificæ aëris ad gravitatem a-
 quæ, secundum observationes plurimorum, se habet
 circiter ut 1. ad 900, aqueas tamen particulas adcen-
 dere experientia edocemur. Cujus phænomeni expli-
 cationes, a variis varias excogitatas, nimium foret
 prolixum enumerare; sufficit nobis, eas sub forma
 vaporum sursum evehi, donec ad aërem ejusdem gra-
 vitatis perveniant nubesque constituant. Neque so-
 lum id, sed hinc rursus, turbato hoc æquilibrio, sub-
 sidunt & in casu condensati in pluvias transforman-
 tur. Quarum aliquæ partes fontes, fluvios aliaque
 ejuscemodi constituunt; aliquæ vero semina radices-
 que plantarum & ita ulterius ingrediuntur, unde
 nutritio plantarum. Particulæ enim aqueæ non so-
 lum partibus earum uniuntur & solidam substantiam
 augent; sed aptissimum etiam aqua est vehiculum;
 quo

quo partes ei immixtæ, solis vi calorifica ad circulationem adductæ, in canales plantarum demittuntur & ad incrementum earum conducunt. Horum porro vegetabilium multa hominibus ad sustentationem, alia animalibus ceteris inserviunt, quorum singula sibi destinato victu satiuntur, ac in tanta plantarum varietate & copia, ea eligunt, quæ sanitati ipsorum conducunt. Et ita porro, Sic unum alteri subordinatur, ut nihil frustra contingat.

§. VI.

A Nimum denique ad exiles animalium partes earumque utilitates considerandas advertentes, ubique Divinæ perfectionis vestigia plurima inveniuntur. Quod, exiguitatem pororum, quos tam subtiles esse contendit *Levwenhæckius*, ut 50. eorum in spatio sint, quod minutissimæ arenæ granulo adæquat, admirandam globulorum sanguinis ex sex rursus minoribus globulis coagmentationem, ceteraque ut omitamus, ex parvis etiam insectis adparet. Quodvis enim eorum corpus habet organicum, convenienti corporum structura & exactissima partium convenientia, nutritioni, motui ceterisque actionibus vitalibus inservientium, præditum. Multa enim animalcula quamvis ipsa sæpe oculo inermi non conspiciuntur, ex partibus interim tam solidis quam fluidis constant. Quarum illæ artus, venas ceteraque comprehendunt, hæ vero humores spiritusque animales, qui per canales suos decurrunt. Hinc *Hollmannus*; "Quum inter hæc animalcula, quæ ipsa puncti cujusdam phy-

fici

"fici instar sunt, omnem certe captum nostrum superat, sum-
 "maque omnino admiratione dignum est, in puncto ejusmodi
 "physico tot diversas vitæ, nutritioni, generationi, imò sen-
 "sationibus, tandem & motui inservientes partes dari, fa-
 "cileque patet quam incomprehensibilis subtilitatis v. c. mu-
 "sculum, vel vas aliquod sangviferum, aut hic analogum, in
 "animalculo esse oporteat, quod ipsum modo punctum aliquod
 "esse deprehenditur. b. vero *Augustinus*: Quaritur, quid illa
 "membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro na-
 "turali appetitu tantillum corpusculum ducat, quis curren-
 "tis pedes in numerum moveat; quid volantis pedes mode-
 "retur ac vibret? quod, qualecunque est bene considerantibus,
 "in parvo tam magnum eminet, ut cuivis fulgori præstrin-
 "genti oculos præferatur. Quamvis tanta partium exilitate
 prædita sunt ipsa animalcula, tamen nonnulla eorum ova in
 magna ponunt multitudine. Ita *Lesserus*, papilionem sexcenta
 eorum intra biduum peperisse, testatur. Quæ vero fila nent
 tenua, minori admiratione digna non sunt: Nam *Boyleus* nar-
 rat foeminam in Anglia, quæ alendis bombycibus delectaba-
 tur, ex thecis horum animalculorum filum sericum extraxis-
 se, quod ultra 300. ulnarum anglicanarum longitudinem ex-
 porrigebatur, & grana tantum duo cum dimidio ponderabat.
 At ovis suis animalcula illa, loca prospiciunt apta, ibi ut ex-
 cludantur, nutriantur & ab injuriis aëris aliorumque læsio-
 nibus fiant tuta. Qui denique ad eorum metamorphoses, va-
 rios se conservandi & defendendi modos attendit, multa a-
 lia inveniet digna admiratione, in quibus tamen infinita va-
 rietas observatur temporibus, locis, vitæ generi & indoli
 ipsorum accommodata. Sic alia excluduntur citius, alia se-
 rius, alia lignis & plantis, alia carnibus delectantur, alia
 ramos, non nisi ejusdem coloris ac ipsa sunt, adamant;
 & in magna admodum varietate alimentorum, quodlibet
 ea eligit, quæ refocillationi ipsius consulunt, quod & fuit
 necessarium, ne unum alteri impedimento foret. Alia porro
 C
 exami-

examina proprio Marte artificiosissime conficiunt, retia con-
 texunt alia ad captandas muscas, in quibus centrum exacte
 servant, acsi circino essent constructa. Et quæ ceteris ani-
 malculis ad sustentationem faciunt vel alio modo intereunt,
 multo uberius faciliusque propagantur. Quæ omnia satis
 commonstrant ea a summo Numine dependere, quod eorum,
 ut conserventur, curam gerit. Et sic in ceteris. Nec re-
 gnum vegetabile minimis, quæ venerationem erga Creato-
 rem excitare debent, destituitur. Præterquam enim quod plan-
 tæ exiles haud paucæ dentur, flores exiguæque eorum par-
 tes multa superbiunt elegantia: Sic pollen antherarum in
 diversis diversissimum, in eadem vero specie hæ minimæ et-
 iam particule sunt similes, & ex *Neesbhamianis* observatis con-
 cavæ, alia materia subtiliori intus turgidæ, quam, ac-
 cedente humore, in fœcundationem pistillorum ejiciunt. Se-
 mina denique multorum vegetabilium nudis oculis conspici
 non possunt, unde facile colligitur, corcula, in iis, quæ co-
 tyledonibus instructa sunt, eo majori gaudere subtilitate,
 quæ sæpe octogenariæ parti totius seminis vix respondent,
 ex his tamen totæ evadunt plantæ, nam in ipsis continentur,
 quæ, positis certis circumstantiis, evolvuntur. Hinc plantæ
 continuo nexu sibi invicem succedunt. Si vero calculus
 nexus illius retro subducatur, progressus in infinitum non
 est possibilis, sed tandem in unitate est acquiescendum, cujus
 fundamentum & principium in Maximo quodam Ente est qua-
 rendum, quod potentissimo nutu voluntatis suæ, cuilibet semini
 facultatem speciei suæ plantas producendi, quam adhuc re-
 tinent, indidit. In regno tandem minerali, ut cetera bene
 multa brevitatis causa omittamus, salia notari merentur, quo-
 rum Crystalli in parvis suis particulis eandem cum totis re-
 tinent figuram, quas omnes Ens Maximum modo stu-
 pendo disposuit & combinavit. Cui Soli Glo-
 ria sempiterna.